





1748.

1. Buch, Henr. Wilhelmus: Conciliatio 1747/17. ad Schol. Tubol. cum p. 48 p. de condit. et. Demonstr.
2. Gaerhuerus, Sch. Georgius: De intercessionibus nuntiarum.
3. Pestel, Frid. Guertel, Bod. Tit. 14: De natura legis actus. Programma, quo ad solennia inauguralia Sch. Georgii Gaerhueri iuritat.
4. Pestel, Frid. Albinus: De pactis nudiis.
5. Walpffhardtus, Paulus Philippus: De origine factae Urphedae. Programma, quo ad audientiam orationem publ. Albinus Artibus Caselmanni iuritat. 2. 5. 1748

1749.

1. Pestel, Frid. Guertel: Pecunia, qua feudum certum est, in commune corpori debere, assertum. Programma, quo Albinus Jacobi Immanis examen iuritat.

1750

1. Brething, Cons. Frid. Jan: De revelatione divina.
2. Walpffhardtus, Paulus Philippus: De questione de iudicio. Programma, quo ad examen publicum Georgii Ludovici Noni Laschi iuritat.

1751.

1. Perzel, Fridericus Moricus: De jure pignoris imminente creditorum, concurren traditi ad jura statuta. Bremensis sententiam.
2. Heymann, G. Goll: De idololatria & theozaria maxime phitoxophica. Quercitales, qua lectioes suas hactenus in dieb.

1752.

1. Perzel, Fridericus Wollh: De domicilio originis ad l. pen. l. de senator. Programma, quo examen publicum Ludov. Gottfr. Hessel in dieb.
2. Perzel, Fridericus Moricus: De jure ingruenti impunitatis spei sapienter inimico. Programma, quo examen publicum Caroli Rudolphi Victor Fudkei.
3. Perzel, Fridericus Moricus: De effectu possessionis nondum vacuae a statu imperii adprehensae.

1753.

1. Perzel, Fridericus Guntzelius: Frons errorum de odio usurarum legitimis investigatur et obstruitur.

1754.

1. Pöstel, Fridericus Wilhelmus: De iustitia et benignitate legum Germanicarum erga peregrinos
2. Pöstel, Frider. Wilhelmus: Inplanatio juris oberte Caroli Schaumburgiensi de obligatione successoris feudalis ad solvendum jus alienum hereditarium

1753.

1. Plitt, Franc. Jacobus: Religiosem Cantianam esse optimam. . . Programm, quo arabum impicalem iuritat.

1756

1. * Koenig, Hermannus Casparus: Praelectio et sermo academicus Hildelicus ad exequias Hermannus Caspari Kunzigi civis academici iuritat

1759.

1. Pöstel, Fridericus Wilhelmus: De herede defunctus in rebus pecuniariis non simpliciter repraesentante.

1757

2. Wolffhardus, Paulus Philippus: De hereditibus nisi
liberis indiligentis. Programma, quod ad examen publicum
Turoci: Hantel iussit

1758.

1. Pestel, Fridericus Wilhelmus: De eo, quod iustus
iuris et rationem belli interest. Programma, quod
ad transferenda iura magistratus academici
... in Philippum Georgium Schroeder iussit
Lad.

1764.

1. Wundtlich, Thomas: De pluribus petitionibus

no
besten
es
und
sind
urs









Fra. 4. num. 3.

23

1758, 1.

9
P. 4581

ACADEMIAE ERNESTINAE
 PRORECTOR
 FRIDERICVS WILHELMVS
 PESTEL
 IVRA MAGISTRATVS ACADEMICI
 ET INSIGNIA
 IN VIRVM EXPERIENTISSIMVM ATQVE
 EXCELLENTISSIMVM
 PHILIPPVM GEORGIVM
 SCHROEDER

MEDICINAE DOCTOREM, EIVSQVE ET PHYSICES PROFESSOREM
 ORDINARIVM CELEBERRIMVM


A. D. XVII. IVLII c. 1. b. CCLVIII.
 SOLENNI RITV TRANSLATVRVS

AD ORNANDAM HANC PANEGYRIN
 VIROS, QVI LITERIS FAVENT, SVIS QVOSQVE
 TITVLIS HONORATISSIMOS, GENEROSAM IN
 PRIMIS AC NOBILISSIMAM STVDIOSAE IUVEN-
 TVTIS CORONAM

HVMANISSIME INVITAT

PRAEMISSA EST DISQVISITIO
 IVRIS GENTIVM EVROPAEI
 DE EO QVOD INTER IVS ET RATIO-
 NEM BELLII INTEREST.

RINTELII TYPIS IOH. GODOFR. ENAX, A. T.



Populos, quos vel Scythica iuvat vagandi feritas, vel nullum, aut negligentius, rei rusticae et mercaturae studium plerisque iucundioris vitae instrumentis carere cogit, dum, crescente multitudine sua, parum aut nihil sibi suppetere cernunt, quo *inopiam* suam alleuent, aut ad quod *ingenitum efficacitatis spiritum* dirigant, ipsa interiori constitutione sua ad perpetuam bellorum, aliorum ex aliis nascentium, seriem, et per hanc ad saeuiolem bellandi modum, plerumque extimulari, non minus humanae indolis contemplatione, quam annalium fide, constat. *Ignobile* in his ciuitatibus putatur, quod *sanguine parare possis, id sudore quaerere*: et ciuitas, ne ciues in sua ipsorum viscera tela detorqueant, veluti necessitate quadam coacta, alit bella perpetua. Spe praedae, gloriae ludibrio, religione interdum, vehementior bellandi aestus, puerulorum animis insitus, fugit quietem, cuius nullos domi fructus inuenit: nisi quod interdum temporaria quaedam cessatio, veluti malacia tempestatibus, grauioris plerumque turbinis praenuntia, interponatur. Sic vero cum gens saeua caedat, quicquid libere populantibus resistit, inque vicem ipsa plagis contusa, vulneribus suis, vel necessariorum caede et periculis, ad vltionem incendatur: non potest non vis igniculorum naturalium ad humanitatem apud homines, quorum sanguis horridis turbis, et alternis irae atque terroris commotionibus, perpetuo efferuescit, languescere. Ita fit, vt, perinde ac si in hostem iura hominis non caderent, frena laxentur ferociae, et *ius belli* transmutetur in *plenam licentiam immanitatis*.

Atque vt ea, quae de veterum Gallorum institutis memoriae prodidit C. Iul. Caesar de B. G. VI, 22. seq. silentio praetermittam, de
Sarma-

Sarmatis FLORVS IV, 12. nihil praeter niues, inquit, rarasque sylvas, habent. Tanta barbaries est, vt pacem non intelligant. De iisdem POMP. MELA III, 4. ferire hostem adularum stipendium est, adeo vt non percussisse, pro flagitio habeatur, sitque eis poena virginitas. De insigni Thracum crudelitate (qua nota olim adeo infames ipsos fuisse constat, vt saeuum Alexandri Regis sui ingenium indicaturi Iudaei, eum, teste IOSEPHO, Thracidam vocauerint) sic FLORVS III, 4. Nihil residuum fuit crudelitatis in captiuos saeuientibus, litare Diis sanguinem humanum, bibere in ossibus capitum, et huiusmodi ludibrio foedare mortem tam igni quam fumo, partus quoque grauidarum extorquere tormentis. Generatim de Scythis, quorum sobiles erat gens Sarmatica, PLINIUS memorat H. N. XI, 53. Scythae sagittas pingunt viperina sanie, et humano sanguine. Irremediabile ad scelus mortem illico affert leui tactu.

II.) Quamprimum populus diligentiori rei agrariae, pecuariae, opificariae, artificiorum, et mercaturae, cultura, solidiora felicitatis publicae fundamenta ponere incipit: statim turbulento succedit constantior appetitus quietis. Nam cum ciuibus neque rerum, quae ad iucunde viuendum referuntur, copia, neque occupationum desit materia: non solum fontes, ex quibus irritamenta perpetuorum bellorum manare solent, exarescunt, sed et *sensu commodorum pacis*, naturalis fuga immanitatis corroboratur, ita vt in ipsis belli fluctibus infixam mentibus eius vis sese erga hostes exferat. His institutis fundata ciuitas ad legem naturalem, quae nexus gentium socialis stabilitatem postulat, exactius componitur, et *ius belli* intra eos, quos natura statuit, limites, coerctur: nempe, vt a) *bellum non suscipiatur, nisi plane necessarium*, b) *susceptum absque immanitate, secunda perpetuorum odiorum semina continente, geratur*, et quidem c) *pacis causa*, h. e. finiatur, quam primum fieri potest, cum serio proposito fidei datae seruandae, et voto enixo, ne quies, per pacem reconciliatam, restaurata, nouis iniuriis perturbetur.

Romam huius felicitatis participem facturum NVMA POMPILIUS,
 A 2 pacis

pacis artibus spiritum illum bellicum et ferocem, a ROMULO incitatum, prudenter deliniuit: ac legibus suis tanto maiorem vt sanctitatem conciliaret, religionis reuerentiam et mysteria ipsis accommodauit. Similibus institutis rempublicam *Chaucorum* v-
sam fuisse, verosimiliter colliges ex TACITO de *M. G. c. 35.* qui hanc amabilem ipsorum effigiem expressit: *populus, inquit, inter Germanos nobilissimus, quique magnitudinem suam malit iustitia tueri. Sine cupiditate, sine impotentia, quieti, secretique, nulla prouocant bella. Nullis raptibus aut latrociniis populantur. Idque praecipuum virtutis ac virium argumentum est, quod, vt superiores agant, non per iniurias assequuntur. Prompta tamen omnibus arma, ac, si res poscat, exercitus. Plurimum virorum equorumque. Et quiescentibus eadem fama.*

III.) Non est, quod nobis obuertatur; neque in cultioribus populis, ius belli a natura constitutum, semper sanctius custodiri, sed larga manu historias tradere exempla bellorum, quae ob eumentas aut opinatas, verbo nullas, fuscipere libuerit iniurias, in quibus gerendis atrocius, et vltra mensuram bellantibus a natura statutam, faeuitum sit, quaeque per pacem componere placuerit non fidam et tutam, sed flammae extinguendae similem, cum *ignis cineri*, vt ait poeta, *doloso supponitur.* Vitia haec sunt *personarum*, quae clauum imperii tenent, non ipsius *constitutionis ciuilis*, quae non per se, vt superior, (§. I.) perpetuam bellorum segetem exigit.

IV.) ROMA, gentium quondam domina, vt impetum plebis bella temere incipiendi, aut vltra necessitatis terminos continuandi, perdomaret, *collegium Fecialium* instituit. Abusos eo esse primores (perinde vt *auguribus* ad destinata sua perficienda consules) ad *ostentationem* iustitiae, quam, si vtilitas posceret, ac late regnandi auiditas, parum curarent, euentus docuit. Multorum enim, et paene dixerim, plurimorum bellorum causa, si minus aperte iniusta, at certe anceps fuit. Verum hoc ipso tamen instituto probarunt, se caeteris populis, cum quibus confligebant, in eo antecellere cupere,
vt

vt iuris gentium prae omnibus studiosissimi si minus essent, certe viderentur. Quo factum est, vt non solum *ius belli rigidum*, quod a natura terminatur, migrare nefas ducerent, sed a multis etiam, quae secundum illud licent, sibi temperarent; et nobili exemplo *ius belli lenius et mansuetius*, in Europam inueherent, quod postera aetas, conuersis rebus, et imitari coepit, et sensim in perpetuam quasi formam systematis redegit.

FABIVM, virum in bello quoque innocentem, et eo nomine laudat SENECA ep. 120. *quod aliquod esse crederet, etiam in hoste nefas.* MARCELLVS, Syracusas capturus, ex omnium sententia edixit militibus, *ne quis liberum corpus violaret.* LIV. XXV, 25. SCIPIONIS ad Macedonii vxorem, pro puellarum pudicitia deprecantem, digna tanto imperatore vox erat, quam refert LIVIVS XXVI, 49. *Meae populique Romani disciplinae causa facerem, ne quid quod sanctum usquam esset, apud nos violaretur cet.* Taceo alia modestiae Romanae exempla, vbiuis obuia.

V.) Gentes barbarae, spe praedae, aut sedis iucundioris, memoria etiam veteris iniuriae, quam stirpi suae Romanos intulisse, indignarentur, exstimularae, cum in fines Romanorum longe lateque effunderentur, sensim in illa bello serie ferociam si minus omnem deposuerunt, ab inhumana tamen crudelitate, qua in hostem quiduis licere censetur, quamque ius belli inter gentes aeternum reprobatur, plerumque abstinerunt. ATILAM ipsum, auaritate pecuniae cogendae sede sua, alias satis commoda et iucunda, excitum, (cuius rei, et simul ingenii Attilani documentum notabile, refert SVIDAS *in voce κέρκος et μεδιολάνον*) plane alium, atque vulgo fit, pingit, non solum IORNANDES, sed et prae caeteris PRISCVS, qui aliquamdiu legationem THEODOSII Imp. in eius aula obiit. Reliquae gentes, quae, perpetuam in finibus Romanis habitationem fixurae, patrio solo discesserant, modestia militari sibi animos deuincturae, non modo belli

belli ius ab immanitate distinxerunt, sed et feueritatem bel-
landi licitam *humanitate* temperare coeperunt.

Pleni horum testimoniorum sunt libri SALVIANI, qui hoc gene-
ratim confirmat: *unum illic Romanorum omnium votum fuisse, ne
unquam neesse sit eos transire in ius Romanorum. Una et consentiens
illic Romanae plebis oratio, ut liceat eis vitam, quam agunt, agere cum
barbaris. Non dissimilis est TOTILAE ad senatum epistola apud PRO-
COP. in Goth. III, 9. De ALARICI, qui primus inter barbaros Romanam
occupavit, atrocitate in vrbe, direptionibus, conflagratione aedium
cet. exaggeratius, quam verius, PROCOPIVS, PHILOSTORGIVS, et ex his
recentiores, declamarunt. Alia nos docent OROSIVS, et AVGVSTINVS,
quorum ille refert VII, 39. Regem edixisse militibus, ut quantum
possent, praedae inbiantes, a sanguine sibi temperarent, hic de ciuitate
Dei I, 7. memorat: quicquid vastationis, trucidationis, depraedatio-
nis, concremationis, afflictionis, in ista recentissima Romana clade com-
missum est, fecit hoc consuetudo bellorum. Quod autem more nouo fa-
ctum est, quod iniustata rerum facie immanitas barbara tam mitis ap-
paruit, ut amplissimae basilicae implendae populo, cui parceretur, elige-
rentur, ubi nemo feriretur, unde nemo raperetur, quo liberandi multi
a miserantibus hostibus ducerentur, unde captiuandi vlli nec a crudeli-
bus hostibus ducerentur, cet. add. egregium modestiae militaris
exemplum apud SOZOMENVM IX, 10. Si tam alienus a iure belli
naturali, ab omni in hostes humanitate fuit, qualis vulgo pingi-
tur: quid est, cur fana et delubra deum inuolata esse iusserit?
cur orthodoxorum templis pepercerit Arianus?*

VI.) Semina emendationis disciplinae militaris adiu-
uerunt clericorum monita, et crescente pontificum Romanorum
dominatu, horum decreta ac fulmina; praeterquam, quod in
haereticos quiduis fieri permitterent, ut quos eorum animan-
tium loco haberent, in quae non cadit iniuria. Pontifices
quippe, quibus *lege Dei* non solum libera de *infidelibus*, quos
vocant, statuendi potestas tradita, sed et summum in *gentes*
Christo deuotas imperium (Ps. II, 8. Apoc. II, 16.) delatum esse,
existimaretur, sibi illos excindendi, aut addicendi, cui vellent,
facultatem, inter *has* autem, *belli pacisque arbitrium* arrogarunt.
Illius

Illius opinati iuris fidem faciunt codicilli papae ADRIANI a. 1154. Regi Angliae HENRICO traditi, vt *Hiberniam* in ditio- nem redigeret, CLEMENTIS VI. tabulae de infulis fortunatis, ab ALEX. VI. profecta *donatio Americae*. Huius supremi inter Chri- stianos populos iudicii, patentissimi in C. 13. X. de iud. para- logismi, et diploma 7. apud LEIBNIT. C. I. G. diplom. veritatem asserunt. Praeceperunt cruentas illas, et plerumque infaustas, expeditiones *in Orientem*: copiis Christianorum vndiquaque collectis, velut iure suo se praeficere posse censuerunt *Impera- torem R. G.* federa belli inferendi causa *cum haereticis* iniri, ve- ruerunt: inducias, quas *treugas* vocant, in cap. I. X. de *treuga et pace* bellantium aestui interposuerunt: genus armorum, quibus pugnari inhumanum putarent, *sagittas et balistas*, satis pro imperio, irrito licet conatu, interdixerunt, in c. vn. X. de *Sagittar.*

Vtut Pontifices R. auctoritatem, qua olim apud rectores populo- rum pollebant, in dominatum, maiestati gentium infestum, iniuria conuerterint: perutilis tamen illa eo tempore aliquoties fuit ad praeuertenda laesionum, ex quibus bella progerminant, principia. Ita in conuentionibus, tabulisque pacis, fidem ali- quoties eo modo adstrictam esse legimus, vt perfidus caput su- um *censurae papali*, et interdictioni sacrorum tum sese, tum vni- uersum populum, obligaret. v. tabulas apud LEIBNIT. d. l. tom. *prodr. n. 95. §. 36. et n. 201. §. 28.*

VII.) Verum certiora, et connexis rationibus deuin- cta, quibus *ius belli* nititur, principia a *duobus saeculis proximis* repetes. Ille ipse enim, qui *populorum Europaeorum* nunc est, habitus infantiam suam debet temporibus CAROLI V. Aug. adolescentiam LVDOV. XIII. R. G. robur autem, et totum quasi *onus sua* suum, illi aevo, quod *paci Westphalicae* successit. Ante id tempus gentes Europaeae, domesticis laceratae dis- fidiis, nondum oculis perpetuo intentis, spectarunt gentium, non solum finitimarum, sed a suis quoque finibus diuulsa- rum,

rum, incrementa, neque ad *aequam virium lanceam*, velut ad legem supremam, rationes suas composuerunt. Ab eo autem tempore, quo hoc *generale*, quod vocant, *systema politicum* in Europa dominatur, duplex quoque *ius belli* et perpetuis notis discerni, et solidioribus fundamentis stabiliri, coepit: alterum *iure gentium aeterno constitutum*, alterum, *origine quidem voluntarium*, vsu introductum, sed eadem, quae *pactis* inest, vi praeditum.

VIII.) Nempe *ius belli* vel *latius* interpretamur, vel *strictius*. Latius dictum est complexus iurium plenorum, quibus populo aduersus populum, a quo laesus est, vel a quo laesionem sibi instare, moraliter certam, meruit, vti licet, vel ad extorquendam restitutionem, vel ad praeuertendam vim iniustam, quam sibi impendere, ex signis moraliter certis colligit. Ergo sub eo non solum modus, quo bellum *exortum* geritur, sed ipsa etiam belli tum *praeludia*, tum *auspicia*, continentur. Iure G. aeterno iusta quidem sunt arma, quae haud antegressa *solemni belli indictione* mouentur: sed ob multiplices, qui vel *in iure*, vel *in facto*, interuenire possent errores, ad certiorum iustorum ab iniustis postulatorum distinctionem, belli praeludiis vel initiis praemitti denuntiationem eius, quod sibi populus à populo deberi contendit, et petitionis liquidae reiectionem, non decorum, sed iusticia, gentium exigit: nisi a) vis armata repellatur, aut b) iniuria, ob quam laedens inuaditur, sit liquida, et simul denegatio satisfactionis, seposita vi, moraliter certa.

Romani, vt vidimus, ostentationis amantissimi, *bellum iustum* dixerunt, idem quod *solemne*, nempe, quod a) causis, a) feccialium collegio examinatis, b) genti inimicae per legatum denuntiatis, eique c) tempore consultandi, vtrum absque vi postulatis satisfacere mallet, concesso, d) *clarigatione* ob ius denegatum accedente, coeptum fuisset. Medio aeuo, tum vsus diffidationum inter gentes inualuit, tum conuentionibus statuere placuit, vt non prius, quam

quam ob *ius petatum et denegatum* literae, quas vocant, *repressa-*
liarum marcae et contramarcae exararentur. Abrogationem so-
lennium belli indictionum Gallis LVDEWIGVS ad A. B. tom. II, p.
178, Suedis CONRINGIVS in *diss. de bello et pace* §. 20. acceptam
refert. Notatu digna de GVSTAVO ADOLPHO commemorat
CHEMNITIVS in *hist. belli Suecici* p. 37. 97. 102. *Werwegen weil Er,*
der König, den Krieg nicht angefangen, sondern nur zur notwendigen
Gegenwehr gegriffen, keine feierliche Kriegskündigung von nöthen
gewesen, sondern dergleichen Kriege nicht durch Herolde, sondern
durch die Natur und sich selber angejaget werden. Bellum illud in-
ternecinum, quo Hispani cum Belgis conflixerunt, absque in-
dictione gestum est. Plura exempla, LVDOV. in primis XIV. cum
is a. 1667. Hispanis bellum inferret, suppeditat BYNKERSHOEK.
quaest. iur. publ. I, 2. et in fine subiicit: *nihil causae esse, cur vel de*
moribus Europaeorum tam benigne sentiamus, atque si nempé ex his con-
staret de necessitate indicendi belli.

IX.) *Ius belli strictius dictum* (de quo hic loci proprie
agitur) est *complexus remediorum violentorum licitorum, ad eum*
finem tendentium, ut hosti publico satisfactio ob causam et damna
belli, cum pace secuta, extorqueatur. Quod quidem ius in duas
partes recte dispescitur. Vel enim iustitia aut iniustitia huius-
modi remediorum, quae bello flagrante adhibentur, *iure N.*
terminatur, vel gentium Europaearum pactis expressis aut tacitis.
Illud liceat appellare *ius belli rigidum; hoc temperatum.*

X.) *Rigido iure belli, caue, in hostem quiduis licere, e-*
xistimes. Bellum est status extraordinarius, quieti, ad quam
homines nati et facti sunt, urgente necessitate interpositus.
Igitur haec demum mala hosti inferri licet, quae nisi ipsi in-
fixeris ad pacem fidam celerius et efficacius compelli non
possit. Nefaria autem est a) vis illata iis, qui non resistunt,
et, extra imperium animi in pugna, a resistentibus discerni pos-
sunt, b) nefarium iridem, iis malis hostem affici, quibus ad
resistendum non fit infirmior, sed ad vindictam vehemen-
tem incitator, et in bello continuando perucacior. Cui con-
sequens

B

sequens

sequens esse arbitror, vt 1) iure gentium aeterno vetitum sit; vim fieri *mulierum castitati* 2) incendiis, extra necessitatis iactum, vrbes pagosque non resistentes consumi, 3) captos hostes interfici, quod postremum H. COCCEIUS, de *diuerso iure belli a iure victoriae*, vberius excussit, 4) vt mortuis, quos natura extra nocendi locum posuit, nulla inferatur iniuria, 5) vt fides hosti in bello data sancte seruetur: cuius rei nobile exemplum, de ATTILII REGVLI, promisso dedit CICERO *de offic.* III, 26. *seqq.*

XI.) Rigidi illius iuris, a natura profecti, asperitatem emollit *ius belli Europaeum*. Secundum hoc, compluribus nocendi remediis, ob *arctiorem gentium Europaeorum nexum, mutuum vilitatem, et amiciorem in restringendis bellorum incendiis, et quiete restauranda, consensum*, abstinere oportet, quae *iure N. hosti aduersus hostem permittuntur*. Fines huius iuris temperationis vel speciatim *conventionibus bellicis reguntur*, quas *Cartels* appellare solent, vel generatim *vsu*, cui inuehendo et firmando multa subinde, atque in his, *veteris disciplinae Romanae, iuris ciuilibus, decretorum pontificiorum, reuerentia, pacta belligerantium singularia, horumque, nouis deinde turbis exortis, instauratio et imitatio, ansam dederunt*. Quem *vsu iuris pleni* inter se vim habere, *populi Europaei agnoscunt*.

Ex quo apparet, differre hoc *ius belli ab humanitate et decentia bellica*. Illa est *complexus officiorum, ad quae hostibus praestanda, gentes, bello decertantes, interne obligantur, e. g. vt hostibus captis domum abire liceat, condito die reuersuris, vt illi aditu ad circulos non prohibeantur cet.* Talia *petuntur, neutiquam, vt ius, postulantur, conceduntur, vel prout res sese dant, illaesis humanitatis praeceptis, negantur.* Decorum *bellicum, (e. g. vt ab ignominiosis et amarulentis stricturis absteatur, vt princeps principi inimico, si quid fortuitum magni momenti in eius domo, ardentibus belli flammis, euenerit, doloris aut gaudii societatem testetur)* sua *populum quemque magis, quam hostis causa, vt illustriorem moderationis opinionem sibi conciliet, custodire, planum est.*

XII.)

XII.) Restrictioris huius iuris, quo *Europa* tempestates suas tolerabiliores reddit, prima veluti lex est: *ira bellum esse gerendum, ut via ad arcus inter gentes infensas fedus, post unum alterumve annum restaurandum, non impediatur; ideoque sollicitius distinguendos esse fines defensionis et vindictae, hanc seueriori disciplina militari retundi, et generatim principem, cuius auspiciis bellum geritur, ab iis abstinere oportere, quae vel pactis expressis, ante bellum, vel hoc exorto, initis, vel usu, quem populi Europaei iuris loco habent, prohibentur, atque ad crudelitatem illicitam referuntur.*

§. XIII.) Multum inter *ius belli naturale asperius, et hoc Europaeum moderatius, interest, siue milites spectes, siue togatos. Saeculo XV. plane alia esse coepit ars bellica. Pro vafallorum militia, et veteri heribanno, sensim allecti milites stipendiarii, hosque ut ad pugnandum essent exercitiores, et ad arma inferenda instructiores, perpetuo alendi initium fecit Gallia. In primis post P. W. perpetuum validumque ali exercitum, flagitat tempus et necessitas, quae in dies augetur. Qua re factum est, ut hodie soli milites cum militibus intra numerum lectis, et habitu distinctis, confligere soleant, quos seuerior disciplina intra iuris G. limites facilius continet. Sed nec contra hos quiduis tentare licet. Recipiendi quippe sunt in deditionem, qui arma tradunt. Captiuis res, quas in primo, quo capti sunt, conflictu seruarunt, vita, immunitas a seruitute, integra manent. Armis, veneno tinctis, et iis, quae haud medicabilem doloris grauitatem et longinquitatem vulneratis inferunt, veneficiis, percussoribus in hostilem exercitum immissis, abstinetur. Cadavera hostium feris et auibus non proponuntur. Ex quibus apparet, ipsam Romanorum mansuetudinem hac, quam nunc Europa comprobat, bellandi ratione superari.*

Licet iis, qui *contra leges militares iniussu ducis praedatum abeunt, iura militum impertiri non soleant: ii tamen milites, qui iussu publico in fines hostis irrepunt, et aliquid periculosum,*

ac, si successerit, hosti exitiosum audent, capti inclementius haberi non solent. v. de audacissima expeditione m. Martio 1709 Parisias suscepta, qua, loco Delphini, per errorem Marchio de Bebringen, abductus, et tandem liberatus est, DE LARREY hist. de Louis XIV. tom. 9. p. 53. seq.

XIV.) Rusticis vsu armorum plerumque interdicitur, deprehenfi, et hostilia *ultra* fecisse, conuicti, inclementius tractari solent. Togatos contra *inermes* interficere, aut tam atrociter cum iis agere, ut exspoliati, et viribus omnibus exhausti, in extremam miseriam et desperationem coniciantur, hoc iure prohibetur. Ex quo colligitur, direptiones et vastationes eorum locorum, quorum incolae non resistunt, cum iure gentium E. pugnare: tributis, quae secundum aequitatem imperari solent, solutis, aut fide habita de eorum exsolutione, si semel redempta sit securitas, lytrum incendiarium bis ac ter exigi non posse: iisque pecuniis semel condictis, securitatem aduersus direptiones, etiam absque cariori literarum tutelarium, quae Saluae guardiae nomine veniunt, redemptione, praestari oportere ex pacto: frumentum, vecturas, pecuniam, non prius imperari, aut poenas ab incolis, qui stato die non paruerunt, repeti licere, quam possessione vacua, h. e. non prius, quam copiae hostiles ex illis, quibus ista imperantur, finibus secesserint, et edita minacia per delectos milites aperto Marte effectui dari possint: obsides fidei, ab hostili prouincia datae et acceptae, etiamsi ab hac promissa violentur, occidi non debere: militum singulorum petulantiae, et praedandi auaritati, in hostico frenos seueriori et prompta disciplina iniiciendos esse: ac licet ius belli maritimum aliquanto latius pateat, et huic tamen suas esse leges, neque naues praedatorias, a piratis plane diuersas, aliter enauigare debere, quam auctoritate publica, acceptoque eum in finem diplomate iustam fieri praedam, praestito prius iureiurando, praestitaque cautione idonea, fore, ut gentibus amicis aut quietis damnum non detur.

Num hosti res, ad ciues ciuitatis inimicae pertinentes, intra fines, sub initium belli, deprehenfas, publicare, et personas tanquam belli iure captiuas de-

detinere liceat? mores gentium sibi non constant. Equidem neganti sententiae, ob analogiam rationis §. 13. allatae adfipulari malim. Tutius est, haec pactis definiri, iisque liberum discessum, et liberam opum exportationem, intra constitutum tempus, vtrinque promitti, si quando vterque populus bello decertaturus foret, v. *pax Hispanorum et Portugall. 1715. facta art. 21.* apud SCHMAVSS. C. I. G. acad. tom 2. p. 1494. Augusta Rufforum a. d. 24. Aug. 1741. *Suedorum ciuibus*, si qui intra *Russiae fines* eo tempore degerent, inuiolatam abeundi facultatem concessit, sed eam benignitati suae (*par un effet de notre magnanimité naturelle*, inquit) acceptam referri voluit. *Mercurie hist. et pol. 1741. p. 438.* Contra LVD. XIV. cum Angliae a. 1666. d. 26. Ian. bellum indixisset, ne sibi et opibus suis metuerent Angli, qui tum intra fines Galliae haererent, edixit d. 1. Febr. d. a. indictionem pertinere ad eos priuatos, qui post eam in mari deprehenderentur, priuatis autem, qui tunc intra fines suos habitarent, neque ius ciuitatis obtinissent, libere intra 3 menses discedendi potestatem fore. Quod attinet ad rigorem disciplinae militaris, ne miles ciues in hostico exagitet, iam superiori saeculo 10. BANNERVS, dux militiae Suedicae, militibus suis d. 14. April. 1639. (LONDORP. suppl. part. 4. p. 156. sq.) edixit, ut si qui malum cuiquam priuato ausu inferre conarentur, id eorum, qui iis praeessent, periculo fore, semel reiecto ignorantiae obtentu; addita comminatione, serii propositi indice, vnd soll sich keiner einbilden, das wie es mit vorigen Mandaten daher gegangen — also wie zuvor gebräuchlich dieses auch illudiren wollen, sondern es sollen gewis dieienigen, die solches vermeinen, mit ihren grösssten Schaden vnd Vngelegenheit sich betriegen. κ. τ. λ.

XV.) Religionis libertas salua cuique et inuiolata secundum dictata iuris G. aeterni, relinquenda est, cui cum ius belli naturale subiiciatur, sequitur, vt hoc ad potestatem, hosti mutationem sacrorum extorquendi, extendi nequeat. Quod autem cum sacerdotibus, piisque corporibus, in bello mitius agatur, quod templis, quantum fieri potest, parcat, vsu populorum Europaeorum, perinde vt alia, quae recensuimus instituta, debetur.

GROT. I. B. et P. III, 12, 6. Gentium in hac re consensum ex codicillis tutelariis Ernestinae nostrae a Caesarianis, Suedis, et ipsa regina CHRISTINA, Gallis, (nam m. Octobr. 1642. G. C. V. Taupatel General.

neral. Regis Gall. Rintelli degit) in bello tricennali, traditis, nuper cognoui. In quibusdam sacerdotis etiam utriusque, et templorum, nominatim fit mentio, et illis quoque praeter academiam vniuersam, immunitas a metatis atque tributis promittitur.

XVI.) A iure belli tum naturali, tum temperatori Europaeo, omnino discrepat belli ratio. (*raison de guerre*) Huic vel latior subicitur significatio, vel strictior. Latius intellecta, denotat comprehensionem eorum omnium, quae, secundum praecepta artis militaris, ad felicem belli successum necessaria, et ob necessitatem suam licita, iudicantur. Strictius accepta significat complexum exceptionum licitarum, aliquid contra limites iuri belli, mutua gentium Europaearum conuentione constitutos, vel ob necessitatem, vel ob ius retorsionis, efficiendi.

Vroque significato differt a more belli (*dem Kriegsbrauch*) qui latius patet, ac decorum quoque militare, in bello vsitatum, (§. II.) complectitur, quod carptim exposuit LVNIG. *theat. cerem.* T. 2. p. 1233. sqq.

XVII.) Ex quibus facile apparet, quibus notis ius et ratio belli discernantur. Illud proprie hostem spectat, et iis, quae in hunc licent, absoluitur. Haec circa iura in hostem, ciues proprios, et populos quietos, versari potest. In eo tamen conueniunt, quod ea, quae vel iure, vel sub ratione, belli fiunt, per se naturaliter iusta esse oportet. Nam acerbitatem facti, quod ob rationem belli admittitur, quodque ob humanitatem, vel ius voluntarium gentium, regulariter non admittitur, excusat necessitas: insitiam sola legis naturalis concessio tuetur.

XVIII.) Ratio belli, latius dicta, vel ea spectat, quae aduersus ciues principum, iisue, qui eius iussu copiis praesunt, licere putantur, vel ea, quae aduersus populos neutrius partis socios, quietosque, ob necessitatis telum, iuste fieri posse censentur, e. g. ut incendatur commeatus a ciuibus subiectus, auehatur, quicquid hosti ad celeriolem persecutionem inseruire posset, urbe, cui obsidio instat, illi excedere iubeantur, quibus victus ad aliquod tempus non suppetit. Inter arma non silent leges, quarum vinculo ciues inter se, et cum republica, continentur: bellum cum hoste, non autem inter ciues, geritur: illud, non magis horum iura et officia, quam nexum vniuersae ciuitatis, soluit. Igitur iustitia eorum, quae praetenta ratione belli in ciues statuuntur, imperio principum eminenti nititur, quod ob euidentem necessitatem, in manifesto conflictu iuris singulorum integri cum salute vniuersae ciuitatis, locum habet: qui quidem conflictus frequentius in bello, quam in pace, accidit. Fines potestatis, hac in re ducibus militiae concessae, legibus militaribus, et interdum speciali mandato, terminantur.

XIX.)


XIX.) Quid in populos amicos aut quietos, sub ratione belli, decernere et audere liceat? magis ambigitur. E.g. num fas sit refugere in territorium pacatum, vel munimentorum, quibus, versa fortuna, receptum tibi praestare tutum possis, traditionem postulare, imperare vecturas cet. De his atque aliis, quibus necessitas obtenditur, fatendum est, saepe non plus iuris inesse in ratione belli, quam in ratione status: in vtraque eo plerumque redire quaestionem, num utilitas, vel necessitas, in quam is, qui isto velo vititur, se ipsum saepius culpa sua coniecit, iustam causam praebet, de rebus et libertate alterius gentis tranquillae statuendi?

Locum munitum, quem ab hoste, nisi hunc confestim praeueneris, occupatum iri, moraliter certum est, occupari licere, firmiter asseruit h. COCCICEVS de iure belli in amicos §.37. sqq. Num certa sit ista suspicio, nec ne, facti magis quaestio est, quam iuris. v. Mercuri histor. a. 1741. P. 2. p. 268. seqq. Complures quaestiones excusserunt BYNKERSHOEK quaest. iur. publ. c. 8. seqq. GLAFEY Völkerrecht c. 3. 4.


XX.) Ratio belli strictius dicta (§.16.) restituit asperitatem iuris bellicandi naturalis (§.9.) et exceptiones a iure belli Europaeo, continet: quarum iustitiam non tam lex necessitatis tuetur, quam lex, pactis quibusque tacite inserta, quam clausulam rebus sic stantibus vocare, mos est. Nempe populos ita inter se conuenisse, vt remediis quibusdam hosti nocendi, sibi autem, quod alia ratione fieri non posset, in praesenti discrimine consulendi, semper, urgente licet extrema necessitate, abstineretur, vtque nunquam iniusta hostis facinora retorqueantur, vix erit opinabile. Verum et hanc belli rationem, intra fines iuris a natura constituti, contineri, neque ad facta, quae, ob mutuum principum bellantium sanctitatem, sine exceptione Europa reprobata, extendi oportere, recte colligitur. Notum est exemplum huiusmodi facti acerbioris, quod, ob rationem belli, in hostem iuste decerni potuisse visum est, incendium Artaxatae, vrbis, olim magni Hannibalis consilio in Armenia munitae. De quo facinore sic TACITVS *annal. XIII, 41.* Artaxatis ignis immissus, deletaque et solo aequata sunt: (a CORBVONE) quia nec teneri sine valido praesidio ob magnitudinem moenium, nec id nobis virium erat, quod firmando praesidio et capeffendo bello diuideretur, vel si integra et incustodita relinquerentur, nulla in eo utilitas aut gloria, quod capta essent. Sed et ad amoliendam facti inuidiam, finxerunt Romani, afflatu quasi diuino haec saeua se aufos fuisse. Addit TACITVS: adiicitur miraculum, velut numine oblatum, nam cuncta extra tectis haecenus illustria fuerunt, quod moenibus cingebatur, ita repente atra nube coopertum fulguribusque discretum est, vt quasi insensantibus Diis exitio tradi crederetur.

Haec

Haec praefari, et summa doctrinae vtilioris capita adumbrare, visum fuit, cum indicenda essent, quae XVII. Iul. instant, sacra annua, nempe natalis ERNESTINAE, et solennis anni magistratus academici abdicatio. Tradam eo die scepra, et reliqua dignitatis Prorectoralis decora, *Viro Experientissimo et Excellentissimo PHILIPPO GEORGIO SCHROEDER, medicinae eiusque et physices P.O. Fautori et Collegae honoratissimo*, quem, vt anno proximo huic literarum vniuersitati praeesset, consentiens mecum senatus suffragatio designauit, designatum SERENISSIMVS PRINCEPS DOMINVS NOSTER AC PATRIAE PATER INDVLGENTISSIMVS clementissime confirmauit. Post pias in aede sacra supplicationes, pompa in maius auditorium traducta, quam superiori anno auspicatus sum prouinciam, recitata oratione solenni, *de differentia imperii ciuili temperati ab eo, quod ad formam disciplinae militaris componitur*: eam, praemissa praefatione breui, *de gloria gentis, non semper pia et iusta belli pacisque arbitra, translaturus, Deo immortalis pro manifestis almae prouidentiae documentis gratias agam publico nomine, et salutem PRINCIPI OPTVMI piis iisque calidissimis precibus commendabo*. Nam nisi lex ERNESTI, primi *nutritoris nostri*, postularet, anniuersaria pietate nos supplices Dei numini fieri, vt sit volens et propitium Principi, ac Domui eius: imperaret summus erga Dominum nostrum indulgentissimum amor, vt probi ciues, qui vota, Fortunae Reduci nuncupata, non ita pridem soluimus, qui piam illam acclamationem, *Alexandro Seuero, palatium adscendenti, olim factam, salua Roma, quia saluus Alexander, nostram meliori iure fecimus, qui, quod Constantinus M. de seipso refert, in L. 2. C. Th. de veter. sibi acclamatum fuisse: Dii te nobis seruent, vestra salus, nostra salus, vere dicimus, iure dicimus, ex animi sententia diximus, scripsimus, solennem, tanto Principi, et patriae, bona et fausta quaeque optandi, opportunitatem, lubentius arripimus*. Quare *Viros, qui literis et Ernestinae fauent, suis quosque titulis condecoratissimos, atque inter hos Senatam in primis academiae, generosam praeterea, atque nobilissimam studiosae iuuentutis, in spem patriae succrescentis, coronam, qua par est obseruantia et humanitate, rogamus*: vti eo die ad me frequenter conuenire, comitatum ornare, sacris et actui solenni interesse, et consociata nobiscum pietate bene Principi, bene eius Augustae Domui, bene patriae, bene huic literarum vniuersitati, nouoque eius magistratui, precari non graentur. P. P. Rintelii a. d. XVI. Iulii 1615 CC LVIII.







Rinteln, Diss., A48-61


ULB Halle
005 023 203


3



TA → OL nr 1+24 Stück







Pra. 4. num. 3.

23

1758, 1.

P. 4581

9
ACADEMIAE ERNESTINAE
PRORECTOR
FRIDERICVS WILHELMVS
PESTEL
IVRA MAGISTRATVS ACADEMICI
ET INSIGNIA
IN VIRVM EXPERIENTISSIMVM ATQVE
EXCELLENTISSIMVM
PHILIPPVM GEORGIVM
SCHROEDER

MEDICINAE DOCTOREM, EIVSQVE ET PHYSICES PROFESSOREM
ORDINARIVM CELEBERRIMVM

A. D. XVII. IVLII c. b. 1768

SOLENNI RITV TRANSLATVRVS

AD ORNANDAM HANC PANEGYRIN

VIROS, QVI LITERIS FAVENT, SVIS QVOSQVE
TITVLIS HONORATISSIMOS, GENEROSAM IN
PRIMIS AC NOBILISSIMAM STVDIOSAE IUVEN-
TVTIS CORONAM

HVMANISSIME INVITAT

—
PRAEMISSA EST DISQVISITIO

IVRIS GENTIVM EVROPAEI

DE EO QVOD INTER IVS ET RATIO-
NEM BELLII INTEREST.

—
RINTELII TYPIS IOH. GODOFR. ENAX, A. T.

